

men legi naturæ non incongrua esse, quâ gratitudini erga DEum declarandæ inservire existimantur, dici possunt.

IX. Lex Positivo-Moralis à Theologis antiquioribus meritò ignoratur.

X. Nec gradus in conjugio Divinitus prohibiti sunt legis Moralis Positivæ, sed naturalis, quamquam paulò laxiori sensu acceptæ.

XI. Jus morale tertii præcepti est, cultum DEO publicum præstare indefinitè certo tempore. Nulla sufficiens ratio ex lege Divinâ elucet, quæ indicet voluntatem DEI de uno præcisè ex hebdomade dierum. Non in libertate nostrâ positum est extendere diem sanctificationis ad vicesimum vel tricesimum, contra charitatem DEI & proximi. Septimus dies, è permutatione septidui recurrens, non est juris moralis positivi. Dorscheus.

XII. Lex moralis neque quoad justificationem, neque quoad maledictionem, neque quoad rigorem exactiōnis, neque quoad coactionem abrogata est, sed in V. Nq; T. eadem semper manet.

Disp. XXXV.

De

Evangelio.

I.

Foeda superstitio est, si externis Evangelii elementis vis curandi morbos aut abigendi sinistra quælibet adscribatur.

II. Evangelii & requisitum & effectus proprius est fides, ut Legis opera. Joh. III. 16.

III. Id in V. T. sufficienter fuit revelatum. Act. XV. 11. Rom. I. 17. Quamquam clarius in Novo. II. Tim. I. 10.

IV. Evangelium ad effectum salutis in homine operandum antecedenter non requirit conditionem operum. Rom. III. 28. Tit. III. 5.

V. Pactum Evangelicum, à DEO cum homine initum, planè gratuitum est, nec nisi ordinis, intra quem DEus oblatam gratiam dispensare velit, observationem à nobis

bis